Quiten. nullitatis cassationis Capituli.

Em.^me & Reu.^me Dñe. DEcretum P. Generalis, quo nostrum Capitulum cassauit, ac Prouincialem Diffinitores, & Priores in eo electos destituit tamquam nullum, & iniustum est infirmandum.

Nullitas est euidens, dum nemine citato processit ad huiusmodi destitutionem, & tamen illorum Procurator iam appulerat Hispanias, vbi aduersa veletudine correptus commorabantur, & citatio est omnino necessaria in cassatione Capituli, & Electi destitutione *cap. vlt. de elect. in 6. Lezzana consulcat. 13. cap. 3. n. 24. Capon. discept. 261. n. 28. & 34. Tendut. resol. canon. par. 2. cap. 125. n. 28. vers. ad vltimum.*

Maximè dum agitur de infirmanda electione propter defectum personæ electæ in Prouincialem, non autem ex defectu formæ, vt distinguit *Barbos. vot. decis. 36. num. 14. & voto 104. n. 23. & seqq.*

Nec non quod P. Generalis Ordinis S. Augustini ex Constitutione Iulij III. tenetur in decreto denegatæ confirmationis specificare causam, qua mouetur ad non confirmandam electionem; quo casu eò fortiùs tenetur in forma Iudicis procedere, & Partem citare, vt in his terminis aduertit *Barbos. voto 97. n. 81.*

Hinc est, quod stante nullitate cassationis propter insanabile vitium non præmissæ citationis electiones factæ in Capitulo sunt interim manutenendæ, & electi in officiorum exercitio conseruandi *glos. in cap. cum super verb. confirmatus de caus. possess. & propr. cap. indemnitatibus §. sanè ibique glos. de elect. in 6. Barbos. vot. dec. 36. nu. 13.*

Decretum præfatum est etiam iniustum: quippè quia totum fundamentum prætensæ nullitatis Capituli sistit in eo, quod fuerit reelectus idem P. Prouincialis, qui in præcedenti quadriennio idem officium exercuerat, quæ tamen reelectio ex Constitutionibus Ordinis, & ex Pontificijs ordinibus Martini, & Nicolai est prohibita.

Triplici enim responsione obiectum eliditur, & primo quod licet immediata reelectio in eodem officio in dictis Constitutionibus sit prohibita, cum tamen huiusmodi prohibitio sit simplex absq; clausula annullatiua actus, electio est valida, vt in specie *Castellin. de elect. cap. 14. num. 44. vers. potissimè verò Fagnan. in cap. cum accessisset num. 32. de Constit. Passerin. de elect. cap. 9. q. 1. n. 3. & 14. & cap. 29. n. 65. & sequen. & probat glos. in cap. ne pro defectu §. is verò verb. ipsius de elect.* vbi quod licet eligi debeat de gremio Ecclesiæ, si alius extra gremium fuerit electus, electio tenet ex regula Iuris, quod multa prohibentur, quæ tamen facta tenent.

Potissimè, quia in Constitutione Sixti V. in qua prohibitio reelectionis in eodem officio in Religione vigens extenditur ad Priorem Generalem, adiectum est litteraliter decretum irritans, & clausula annullatiua eiusdem electionis, signum nimis euidens, quod

quod reelectio in alijs officijs licèt sit prohibita; non tamen est nulla, vt in his terminis arguunt *Fagnan.in dicto cap.cum accessissent num.27. vsque ad 31. Castellin.loco citato.*

Secundò respondetur dictam reelectionem licèt prohibitam substineri; quando omnibus suffragijs nullo discrepante facta fuit, vt in specie *Lauor.*alijque quos refert,& sequitur *Passarin.de elect.cap.35. quæst.2.num.22.*

Huiusmodi enim prohibitio vtpotè ad fauorem subditorum emanata non afficit, dum totum Capitulum Prouinciam repræsentans plenis suffragijs in reelectum consentit, quia vehementissima præsumptio maioris bonitatis, & idoneitatis ex vniformitate omnium votorum insurgens Electi persona in eiusdem Officij exercitio prius comprobata operatur, vt à generali regula prohibitiua censeatur excepta, vt per *textum in §.fin. Auth. de defens. Ciuit.* latè probant *Gratian.discept.184.nu.26.& 32.Antonell.de tempor. legal.lib.2.c.23. num.3.Vincent.de Anna alleg.15.*

Ponderando potissimè circumstantias in hoc casu insimul occurrentes, vnanimem scilicet Vocalium consensum per vota secreta, & subsequentem nostri Prouincialis dissensum in acceptando electionem, protestando de nullitate reelectionis, firmum eligentium propositum de alio non eligendo, & firmissimam Electi voluntatem in Officium recusando, itaut non nisi mediante præcepto obedientiæ Religiosi animi fortitudo potuerit expugnari; quæ omnia operantur, vt non obstante reelectionis prohibitione, super hoc defectu esset dispensandum, vt inquit *Text.in cap.innotuit 20.§.multa de elect.*& Sacra Congregatio passim obseruat.

At vbi etiam Prouincialis reeligi non potuisset, adhuc tamen Pater Generalis non potuit alium in eius loco ex Iure deuoluto eligere.

Quippè quia vt in Electionibus fiat deuolutio ad immediatum Superiorem, de Iure communi alterum ex duobus est necessarium, vel quòd intrà terminum præfixum electio non sequatur, vel electus fuerit indignus, quia tunc Eligentes remanent priuati iure eligendi; Si enim ex alio capite electio facta sit nulla, dum Iure eligendi electores non sunt priuati, non fit deuolutio ad Superiorem, sed est celebrandum nouum Capitulum & electio denuò facienda ab eisdem Electoribus, vt latè *Lotter. de re benefic. lib.3. quæst.17 numer. 107. & seqq. Rota decis.313. num 21. & duobus seqq. par.19. recent.*

Hoc posito in casu nostro non intrat deuolutio ad Patrem Generalem: Cum enim non fuerit in Prouincialem Electus indignus ex crimine personæ, sed ad summum incapax, & inhabilis ad reelectionem passiuam Electores non remanserunt priuati voce actiua, aliumque eligere potuerunt *Lambert.de Iurepatr.lib.2.par.1.qu.10. artic.4.num.22. & seqq. Passarin.de elect.cap.29 quæst.11.num.99. & cap.31.quæst.3.num.25.*

Hinc

Hinc est quòd licèt electio sit nulla, dum adhuc in electoribus remanet Ius eligendi, non fit deuolutio ad Superiorem, sed noua electio est facienda; quia eligentes non cadunt à Iure eligendi propter nullitatem electionis, sed quando eligerunt indignum ex crimine, vt inquiunt *Lotther. & Passerin. loc. cit. Spada cons. 48. n. 2. vsq; ad 6. lib. 3.*

Quinimmò idem *Passerin. cap. 31. quæst. 3. num. 25. & 38.* in electionibus Regularium eligentes non amittere ius actiuum eligendi, etiamsi electio ex vitio personæ electæ corruat; Quia Sacri Canones apponentes huiusmodi pœnam in electione indigni, loquuntur, de Clericis, & de Ecclesijs Cathedralibus; Ideoque extendi non possunt ad electiones Regularium, nec ad officia Regularia, cum in pœnalibus non detur extensio. Vndè sequitur quod dum vocales non priuantur voce actiua ex Constitutionibus particularibus cuiuslibet ordinis nulla intrare potest deuolutio ad fauorem P. Generalis.

Præterea prætensa nullitas electionis quoad Prouincialem cum non sit ex defectu formæ, sed ex defectu personæ afficere nequit electiones aliorum officialium habilium, quia tot sunt electiones, quot personæ electæ, & vitium personam vnius non influit in alias personas diuersas.

Nec releuat quòd dum Prouincialis malè electus interuenit, & votum dedit in subsequentibus electionibus Diffinitorum, & Priorum, eorumdem electio sit pariter nulla.

Cum enim huiusmodi electiones vnanimi omnium vocalium suffragijs factæ fuerint, dato etiam quòd Prouincialis vt ineligibilis non potuisset votare, adhuc dempto eius voto electio firma remanet, concurrente pro electo maiori parte Capituli, quia votum nullum non computatur, non autem annullat electionem, dum eo dempto remanent suffragia sufficientia pro validitate electionis *Passerin. de elect. cap. 10. condit. 6. num. 67. Diana tomo 7. tract. 1. de dubijs regularibus resol. 207. num. 2. in vltima æditione coordinata.*

Quare &c.

Io: Thomas Sabatinus Aduoc.

SACRAE CONGREGATIONI

Episcoporum, & Regularium.

Eminentiss. & Reuerendiss. D. Card.

S. CECILIAE

Quiteñ nullitatis cassationis Capituli.

PRO

Prouincia Quitensi, & Electis in illius Capitulo Prouinciali.

CONTRA

Adm. R.P. Procuratorem Generalem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, & alios quoscumque.

Iuris Domini Sabatini.

ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apost.

Superiorum permissu.